

quamvis postea ascendisse legatur. Eccli. 49. *Præter David et Ezechiam et Josiam omnes peccatum commiserunt; cum tamen et horum peccata quædam alibi prodantur: Joan. 5. Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum, et Joan. 8. Etsi ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum: Jerem. 22. de Jechonia: Scribe virum istum sterilem... nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, et potestatem habeat ultra in Juda; cum tamen 1. Paral. 3. dicatur: Filii Jechoniæ fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia etc.; ac 1. Esd. 2. Aggæi et Matth. 1. Zorobabel filius Salathiel legatur fuisse Dux Israelitarum e captivitate redeuntium; ergo.*

R. N. A. *Ad exempl. 1^{um}*. Christus unice dixit se non ascensurum eo modo, quo ascendere rogabatur, scilicet in comitatu fratrum suorum se rogantium, ac publice ad gloriam suam manifestandam; hinc mox subjicitur: *Et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.*

Ad exempl. 2^{um}. Hoc elogio non omne, sed idololatriæ duntaxat peccatum excludebatur, quod, quia Gentis Hebrææ quasi proprium et reliquis Regibus commune fuerat, hic ab Ecclesiastico per antonomasiam intelligitur.

Ad exempl. 3^{um}. Textus primi sensus hic est: si solus ego de me testimonium perhiberem, vestro quidem judicio (loquebatur enim Christus ad sententiam et confessionem Judæorum) non foret verum, h. e. fide dignum: secundi autem sensus est, reipsa testimonium Christi esse verum; tum quia ex sua natura falsum dicere non poterat, suamque ob auctoritatem merebatur omnem fidem: tum quia non ipse solus, sed Pater cum et de ipso testabatur.

Ad exempl. 4^{um}. Posteriora textus membra docent, nullam hic subesse antilogiam; cum Deus non fuerit Jechoniæ comminatus sterilitatem absolutam et corporis, qua negarentur proles qualescumque, sed respectivam et nominis, qua negabantur proles et hæredes potestatis regie aut supremi magistratus in Juda. Id vero ex communi sententia contigit, eo quod *in diebus Jechoniæ* de semine ejus non fuit vir, h. e. *filius*, qui sederit super solium David, et potestatem habuerit in Juda, Salathiele scilicet absque dignitate ac in captivitate mortuo; quamvis Zorobabel ejus nepos prærogativam ducis in Judæam reversorum sit nactus. Alii cum P. Berruyer planius rem componunt, qui originem Salathielis et Zorobabelis, quorum inter duces et proponunt, Christi Aggæus et Matthæus meminerunt, deducunt ex Johanan, seu Jechonia, primogenito Josiæ filio; non autem ex Jechonia Joakimi filio et Josiæ tantum nepote, quem minæ divinæ apud Jeremiam feriebant. Præterquam enim quod Deus non videatur præservasse singularem illam nascituri olim Dei avorum prærogativam toties maledictæ illi generationi, quam nec minima quidem dignitate imposterum eximiam voluit; ægre profecto Genealogia a S. МАТТІЕО pertexta et ab АГГЕО duntaxat indicata conciliari potest cum illa, quæ de junioris Jechoniæ posteris in Paralip. l. c. refertur. Plura de his Interpretes, et Scriptura dogmaticæ ac polemice explicata.

195. *Obj. II.* Dolus non est intrinsece malus; tum quia datur dolus pius: tum quia a S. PAULO est adhibitus dicente 2. ad Corinth. 12. 16. *Cum essem astutus, dolo vos cepi; ergo nec mendacium intrinsece malum est: conse-*

quenter Deo est possibile. *Conf. 1.* Mendacium tantum est malum, quia est prohibitum; ergo seclusa prohibitione non erit malum: sed Deo nihil est prohibitum; cum superiorem non habeat; ergo mentiri Deo non est malum. *Conf. 2.* Deus cum Jacobo dispensavit in lege *non mentiendi*, ut Innoc. III. e. *Gaudeamus* de diversis innuit; ergo a fortiori poterit ipse mentiri.

R. N. A. *Ad prob. 1^{am}*. D. Datur dolus improprie talis, qui dicitur bonus propter finem bonum eo intentum C. Datur dolus pius, qui sit propria deceptio N. Neque hic etiam moraliter pius seu bonus dici potest, cum finis quantumlibet bonus non excuset medium malum.

Ad prob. 2^{am}. N. Ass. Hæc enim ab Apostolo non dici asserendo, manifestum facit ipse contextus.

Ad Conf. 1^{am}. R. D. A. Mendacium est malum in creatura, quia est prohibitum lege, scilicet tam naturali quam positiva C. est malum in Deo N. Equidem ubi non est lex, ibi nec est prævaricatio; adeoque cum respectu Dei lex proprie talis locum non habeat, nec in eo proprie peccatum datur: quia tamen voluntas nec mentiendi nec fallendi necessaria, ex Dei essentia et perfectionibus promanans, eum a mendacio non minus impedit, ac lex aliqua, si daretur, abstinere posset; inde est, cur Deus non tantum nequeat mentiri, sed et mendacium necessario prohibeat, a qua ratione mendacium formaliter malum esse in Tr. de Act. Hum. ostenditur.

Ad Conf. 2^{am}. R. Innocentium non dicere, dispensatum fuisse cum Jacobo, ut mentiretur, sed ipsum excusari posse a mendacio; quia divina revelatione illi concessum erat, ut ejus verba verum sensum haberent, ideoque sine mendacio ita loqueretur: unde idem Pontifex videtur supponere sententiam SS. AUGUSTINI et THOMÆ tanquam veram, non autem in aliorum Patrum sensu esse locutus.

Inst. 1. Deus potest mendacium præcipere, ut patet in eo, qui *invincibiliter* putat mendacium ad salvandam suam vitam licitum; quia hic lege naturali, ac consequenter divina tenetur mentiri; ergo etiam ipse mentiri poterit.

R. N. Ass. *Ad prob. D.* Tenetur lege naturali ac consequenter divina per accidens mentiri, et quidem prout mendacium in esse intentionali per judicium erroneum apparet bonum et licitum C. per se tenetur, et prout reipsa mendacium est moraliter malum N. Vide Tr. de Act. Hum. Merito Job. 13. 7. amicis objicit: *Numquid Deus indiget vestro mendacio?* et Plato L. 2. de Republ. statuit, Deo semper indignum fore mendacium, etiamsi homini interdum utile esse possit; quod testimonium etiam Ethnicis a natura inditum laudat L. 6. Strom. CLEM. ALEXANDRINUS.

Inst. 2. Deus potest in loquendo uti *restrictione mentali*; imo eadem usus est in comminatione per Jonam Ninivitis facta: nec minus eam adhibuit Christus, dum Marc. 13. interrogatus de die judicii respondit: *De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater*; ergo et mentiri poterit; quia per mentalem restrictionem audiens æque decipitur, et loquens decipere intendit, ac per mendacium.

R. D. A. Deus potest uti, et de facto usus est restrictione pure mentali N. restrictione non pure mentali C. Restrictio mentalis *generatim* describi potest unius alteriusve vocis reticentia, qua fit, ut verba exterius prolata, si per se præcise considerentur, sensum falsum, aut saltem sensui loquentis

contrarium contineant; quamvis eadem cum verbis quæ mente reticentur conjuncta sensum verum, vel menti loquentis conformem expriment. Restrictio *pure mentalis* est, quando sensus qui mente loquentis retinetur ab audiente, quantumvis attento et intelligente, percipi nullo modo potest, eo quod nec verbis a loquente exprimat, nec a circumstantiis hic et nunc occurrentibus significetur, ut si quis rogatus, an Petrum a se visum viderit, respondeat, se non vidisse, subintelligendo non pedibus, sed oculis vidisse. *Non pure mentalis* est, quando sensus mente loquentis retentus ab auditore attento ac perito, saltem ex circumstantiis, colligi potest, licet humanis verbis non proferatur, ut si sacerdos rogatus de peccato in confessione audito respondet, se non audivisse, subintelligendo, se non audivisse ita ut alteri revelare possit: nam licet hunc sensum verba *per se* non significant, ipsa tamen confessarii et confessionis circumstantia est ejusmodi, ut prudens quilibet ac peritus hunc sensum cognoscere queat. Jam vero restrictio *pure mentalis* a mendacio non differt, ut declaravit Innoc. XII. damnans hanc ordine 26. propositionem: *Si quis vel solus vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec perjurus est.* Nam in ejusmodi locutione verba de se, *spectatis omnibus circumstantiis*, sensum falsum, aut menti loquentis oppositum habere, per se liquet: eadem vero verba ut conjuncta cum eo, quod loquens occulte subintelligit, nec alium sensum faciunt; etenim quæ occulte omnino subintelliguntur, sicut audienti per nihil innotescunt, ita pariter nihil significant; adeoque mutare vel modificare nequeunt sensum locutionis externæ, ac consequenter utens tali locutione nequit prudenter intendere, nisi ut audiens habeat judicium falsum, idemque judicet esse in mente loquentis, quod ipse vi verborum intelligit.

Unde iisdem argumentis evincitur, Deum non posse uti restrictione *pure mentali*, quibus supra ostensum, mentiri non posse: ob contrariam tamen rationem illi permissus est usus restrictionis *non pure mentalis*; ideoque is in omnibus Dei locutionibus, restrictionem mentalem connotantibus, supponi potest ac debet, præsertim cum aliunde intelligamus, circumstantias plerumque aliquas Dei ac Prophetarum verba esse comitatas, quæ auditores facile in notitiam qualemcumque sensus in mente retenti ducerent. Sic Ninivitis non defuisse aliquid circumstantiarum, ex quo prudenter colligerent, decretum divinum de subvertenda urbe non esse absolutum, satis liquet tum ex edicto Regis Ninivitarum pœnitentiam imperantis, tum ex illa ejusdem clausula: *Quis scit, si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur a furore ire sue, et non peribimus?* Similiter Discipuli poterant ex circumstantiis prudenter colligere, quod Christus solum loqueretur de scientia extremi judicii *ex ordinatione Patris* communicabili, non autem de scientia simpliciter tali: ex una enim parte sciverant, Christum etiam secundum humanitatem habere scientiam rerum omnium ad ejus dignitatem pertinentium; ex altera autem a Christo audiverant, Deum velle occultum habere, et Apostolis non esse conveniens scire judicii diem. Hinc S. AUGUSTINUS L. 83. QQ. q. 60. scribit: *Ideo bene accipitur, id quod dictum est, solum scire Patrem, sic dictum esse quia facit Filium scire; et quod dictum est, nescire*

Filium, sic dictum esse quia facit nescire homines, id est, non prodit eis quod inutiliter scient.

Inst. 3. Licet *æquivocatio* et *amphibologia* in loquendo repugnet sinceritati, et, illa admissa, non staret firmitas fidei nostræ, cum semper formidare possemus an Deus *æquivocatione* non fuerit usus, aliudque revelare intenderit; ea tamen Deus juxta communissimam omnium uti potest; ergo, non obstantibus rationibus fere similibus, Deus etiam mentiri poterit.

R. 1^o. *C. Ant.* ex supposito, quod non intendatur, et sic quod *per se* non sequatur deceptio, sed permittatur ea tantum et sequatur *per accidens*. Locutio *æquivoca* vel *amphibologica* ea dicitur, quæ verbis constat plures sensus habentibus, ex quibus quandoque contingit, unum esse verum et a loquente intentum, alterum falsum et ab audiente acceptum: item unum obvium et frequentem, alterum rarius usurpatum et infrequentem, unde perinde hic nobis est, an sit *æquivocatio stricte dicta*, ubi scilicet verbum prolatum ex ipsa hominum institutione habeat duplicem significationem; an autem sit *æquivocatio minus stricte dicta* seu *amphibologia*, cujus duplex significatio ex alio capite, nempe circumstantia loci, temporis, rei aut personæ accipitur, aut per tropos ac figuras etiam fit. Ex hac ipsa autem descriptione liquet, locutionem ejusmodi *de se* non esse mendacium, atque hinc ex isto capite nec hominibus semper prohibitam, nec Deo indecentem. Quæ porro conditiones requirantur, ut hominibus licitus sit *æquivocationis* aut *amphibologiæ* et restrictionis etiam *non pure mentalis* usus, hujus loci non est definire: nobis hic sufficiat, in Scriptura a Christo aliisque Sanctis usurpatas, ac per Patres plurimos, maxime S. AUGUST., ab omni vitio liberatas esse locutiones 1. hyperbolicas, juxta illud Genes. 22.: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli et arenam, quæ est in littore maris*; 2. dissimulatorias veritatis, juxta illud Abrahæ dicentis, *Saram sororem suam*, et Samuelis: *Ad immolandum Domino veni*; 3. ambiguas, juxta illud Christi: *Solvite templum hoc etc.* Lazarus *amicus noster dormit*; 4. figuratas, juxta illud Jacobi: *Ego sum Esau etc.*; mysticas, juxta illud Raphaelis: *Ego sum Azarias, magni Ananiæ filius*; 6. cum restrictione non *pure mentali* conjunctas, quales de Christo negante, *se ad diem festum ascendere*, ac *judicii horam scire*, supra explicavimus etc.

R. 2^o. *N. supp. Antec.* Nam *primo* quidem, licet sinceritas obliget ad mentem clare aperiendam, si quis hanc alteri clare aperire aliunde teneatur; tamen locutio ambigua sinceritati non repugnat, ubi quis mentem clare aperire non tenetur, sed potius prudentem finem habet eam occultandi: qui quidem Deo negari nequit ad meritum fidei, Scripturarum studium, diversi sensus utilitatem præstandam; præsertim cum hujus rei admoneamur ab ipsa Scriptura. *Secundo* falsum est, fidei nostræ ex hoc aliquid firmitatis decedere. Non enim tenemur credere, nisi quæ Deus *clare* proponit, neque determinate credimus, nisi constet, ea determinate in sensu revelationis contineri: si quid vero circa fidei mysteria *dubii* sensus aut *obscuri* locutio habeat, tum sensus verus, tum certus haberi potest per Ecclesiam, utpote fidei regulam infallibilem; unde formido locum habere nequit.

Inst. 4. Deus potest homini infundere, aut in eo per se causare errorem saltem speculativum; ergo et potest hominem verbis decipere ac mentiri.

R. N. A. Tum quia sicut repugnat primæ veritati, infundere homini mendacium, sic etiam videtur repugnare ut infundat errorem; cum error non minus ac mendacium veritatem primam dedecet: tum quia per se et scienter produciens in alio errorem, *virtualiter* mentitur, cum virtualiter loquatur, licet ab audiente non advertatur loqui. Hinc sicut, dum in Scriptura dicitur Deus *excæcare* hominem, Patres constanter exponunt de permissione divina, et directam aut per se factam excæcationem Deo minime convenire posse statuunt; sic idem dicendum est de erroris productione, cum inter hanc et excæcationem plane nullum discrimen reperiatur.

196. *Obj. cont. 2^{um}*. Actus formalis virtutum moralium potest versari circa falsam existimationem, ut patet in largitione elemosynæ pauperi duntaxat putatio factæ; ergo etiam actus fidei potest versari circa testimonium falso existimatum. *Conf.* Existimans revelatum esse quod beatitudo consistat in visione Dei oculis corporeis perficienda, circa hanc beatitudinem potest elicere spem theologiam et supernaturalem; ergo etiam fidem ejusmodi; cum spes theologica fidem divinam supponat.

R. D. A. Potest versari circa falsam existimationem, quæ tamen relinquat sufficientem motivi et objecti formalis proprii rationem et applicationem ad movendam potentiam C. quæ eam tollat N. *Primum* quandoque contingit in actibus virtutis ad voluntatem spectantis, *secundum* vero in fide; unde et *Disparitas* est, nam quamvis iudicium *speculativum* de vera paupertate aut jejunii præcepto sit falsum, tamen iudicium *practicum* prudentiæ verum est, quod dicit honestum esse, dare elemosynam homini, qui probabiliter videtur pauper; cum itaque actus misericordiæ tanquam actus practicus et virtutis moralis nec veritatem suam desumat a conformitate sui cum ipsa re, sed cum recta ratione, nec pro objecto formali ac motivo habeat paupertatis existentiam, sed honestatem illam expositam; etiam supposito iudicio speculativo falso, adest sufficiens motivi vis et applicatio ad movendam potentiam. Fides e contra est actus speculativus et intellectualis, adeoque veritatem suam ab objecto verificationis, seu a conformitate cum ipsa re desumit, et pro objecto formali habet veritatem primam revelantem; quæ si reipsa non adsit sed existimetur duntaxat, falsa existimatio hoc ipso tollit motivi vim et applicationem ad potentiam movendam.

Ad Conf. R. N. A. Quia spes theologica et supernaturalis non se extendit, nisi ad ea, quæ sub ipsius objectum formale cadunt; hæc autem ea una sunt, quæ vera fide theologica credimus a Deo esse promissa: unde sicut fide theologica ac supernaturali credi non possunt, nisi vere revelata; ita nec spe theologica et supernaturali possunt expectari, nisi vere promissa.

Inst. 1. In casu, quo quis invincibiliter existimat Deum revelasse aliquid, quod in se est falsum, simulque iudicat se ad id credendum obligari, simplex ejusmodi tenetur credere; ergo potest; quia ad impossibile nemo tenetur. *Conf. 1.* Voluntas credendi in hoc casu est *supernaturalis*, in eamque influit habitus piæ affectionis ad fidem infusam; ergo etiam assensus intellectualis, qui per illum imperatur, foret supernaturalis, et ab habitu fidei infuso procederet. *Conf. 2.* Rudis hic eliciendo actum fidei haberet meritum; ergo et actum fidei supernaturalem.

R. D. Simplex ejusmodi tenetur credere eo modo, quo potest C. aliter,

quam reipsa possit N. Quamvis itaque putet se teneri ad actum fidei verum et supernaturalem, tamen reipsa non tenetur nisi ad actum *naturalem* et *falsum*, quem etiam elicere potest. Talem autem ad falsum etiam obligationem indirectam et *per accidens* duntaxat inveciam dari posse, constat ex Tr. de act. hum.

Ad Conf. 1^{am}. Aliqui negant Deum in hoc casu ad credendi voluntatem concurrere, aut habitum piæ affectionis infusum hoc permittere, utpote cujus natura sit, esse instrumentum Spiritus sancti moventis voluntatem ad veros, minime autem falsos fidei actus imperandos; unde juxta eosdem homo illa ignorantia vel errore laborans tenebitur credendi voluntatem elicere, qualem reipsa potest, nimirum naturalem. Communius tamen T. A. N. *Cons. Disparitas* eadem est, quæ num. pr. de actibus virtutum moralium data est, ad quod genus etiam affectio pertinet. Quare, cum illa credendi voluntas immediate non reguletur per existimationem revelationis sive veram sive falsam, sed per iudicium prudentiæ infusæ de æquitate et obligatione credendi, quod in præsentis casu practice applicatum, tametsi speculativum iudicium falsum supponat, verum est; nullum inconveniens oritur, si voluntas credendi tum supernaturalis esse, tum ab infuso piæ affectionis habitu procedere dicatur; cum tamen e contrario, præter illa in probationibus allata, sequeretur actum falsum esse a Deo ut auctore et causa per se, nosque nunquam certos in fide nostra fieri posse, si revelatio pure existimata ad fidem supernaturalem sufficiat.

Ad Conf. 2^{am}. R. D. A. Habet meritum ex ipso actu credendi N. meritum ex imperio voluntatis ortum, seu quatenus libere vult captivare intellectum in obsequium divinæ auctoritatis, quam quidem falso iudicat esse locutam C. A. et N. *Cons.* quia ex dictis ipse assensus intellectualis non esset entitative supernaturalis, sed ad summum denominative, denominatione extrinseca aliquo modo desumpta a prædicta pia affectione.

Inst. 2. Poterant Judæi, ante Christi adventum, credere fide infusa, Christum esse venturum, et ille actus poterat perseverare post Christi adventum: sed post Christi adventum fuisset falsus; ergo actus falsus potest esse fidei supernaturalis. *Conf.* Si quis ex falsa revelationis propositione crederet, Filium et Spiritum sanctum esse incarnatum, haberet actum falsum simul et supernaturalem; ergo.

R. N. m. Nam actus ille semper respexisset idem tempus, in quo fuit primo elicitus, et comparative ad hoc tempus Christum futurum affirmavit. S. THOMAS hic q. 1. a. 3. ait: *Dicendum, quod hoc ad fidem credentis pertinebat post Christi nativitatem, quod crederet eum quandoque nasci: sed illa determinatio temporis, in qua decipiebatur, non erat ex fide, sed ex conjectura humana: possibile est enim ex conjectura humana, hominem fidelem falsum aliquid æstimare: sed quod ex fide falsum æstimet, hoc est impossibile.*

Ad Conf. R. Si ejusmodi credens habet duos actus distinctos de memoratis objectis, alter est verus et supernaturalis, alter falsus et naturalis: si autem unico duntaxat actu indivisibili *copulative* objectum utrumque affirmat, is simpliciter falsus est, ideoque ex dictis minime supernaturalis.